

SECTIO I.

Societas eſt contractus Juris Gentium, bonæ fidei, nominatus, conſenſualis de rebus, vel operis honeſtis, vel utrisque ſimul communis lucri & damni, aut uſûs gratiâ conferendis.

Quippe in Jure noſtro conventionum aliæ derivantur ex Jure Gentium, *l.* 7. *pr. ff. de pact.* quia apud omnes Gentes obtinebant; háſque inter quoque numeratur ſocietas : §. 2. *Inſt. de J. N. G. & C.* aliæ tantùm Romanorum placitis debent originem : illæ ſimplicitati Juris Gentium accommodatæ præſtationes omnes, quas æquitas naturalis ex naturâ negotii poſtulat, pariter Jure noſtro continent : *l.* 8. *ff. de cap. min.* naturalis autem æquitas eſt ipſa bona fides : *l.* 57. *ff. de R. J. l.* 3. *C. de reſc. vend. l.* 24. *ff. depoſ. l.* 3. §. 3. *b.* quare dicuntur bonæ fidei : æquitati naturali ſtrictum jus opponitur : *l. pen. ff. de conſt. pecun. l.* 86. *ff. de acquir. hæred.* in quibus itaque conventionibus non omnis virtus ex æquitate naturali, ſed vel ex verborum, aut literarum formulis dependet, ſtricti Juris dicuntur, Jure Gentium incognitæ, ſolius Romani Juris ſunt inventum. Dum porro ſocietas in proprium tranſit nomen, *l.* 7. §. 1. *ff. de pact.* definitam habet naturam, & à cæteris negotiis diſtinguitur. Ritè quoque inter conſenſuales refertur, cum ex ſolo conſenſu ſubſtantiam capiat. *L.* 2. *ff. de obl. & act.*

SECTIO II.

Societas ita in genere cognita in tres potiores ſpecies, prout contrahentes latiùs, aut reſtrictiùs ſociari cupiunt, dividitur. 1ma : & ampliſſima dicitur univerſalis omnium bonorum, *l.* 5. *pr. ff. b.* ſive univerſarum fortunarum : *l.* 73. *pr. ff. b.* quæcunque tempore contractûs ſociis in bonis ſunt, quæque expoſt tam titulis lucrativis, quàm oneroſis, aut etiam pœnæ nomine acquiruntur, in hâc ſpecie communicantur : *l.* 3. §. 1. *l.* 73. *pr. l.* 52. §. 16. *ff. b.* onera pariter durante ſocietate obvenientia, ùt ùt eſſent improportionata, aut extraordinaria, utrinque æqualiter ſuſtinentur, nec à minùs gravante in

divisione deducuntur. *L.* 73. §. 1. *ff. h.* Sic socius multorum liberorum parens, ob sumtus in alimenta, dotes, studia, peregrinationes, si eos honor status exegisset, cum socio improli divisurus deductionem non metuit: *Bachov. ad Treut. Vol.* 1. *Disp.* 27. *Th.* 8. *lit. h.* ab eâ tamen immunis non est, si quid ob delictum absque judicis injuriâ damnatus præstiterit, *l.* 52. §. *fin. ff. h.* plus parte suâ alienaverit, *l.* 68. *pr. ff. h.* aut æs alienum, ante initam societatem contractum, de communi solverit. *Leyserus Medit. ad ff. specim.* 184. *Medit.* 8. 2da: priore restrictior magisque in dubio præsumta est universalis omnium acquestuum: *l.* 7. *ff. h.* & in hanc ea, quæ ex negotiis sociorum bilateralibus comparantur, veniunt communicanda; eis, quæ ex causis lucrativis, veluti hæreditate, donatione &c. descendunt, hùc non pertinentibus. *L.* 7. *l.* 8. *seq. ff. h.* 3tia: Est particularis unius pluriumve negotiationum, operarum, aut rerum communione limitata, *l.* 5. *pr. l.* 52. §. 5. & *seq. ff. h.* eorum, quæ socii separatim lucrantur, vel possident, ratione non habitâ. *Gail. lib.* 2. *obs.* 90. *N.* 6.

SECTIO III.

Versatur societas 1mò: circa res quascunque, quarum proprietas vel usus communicari valet: non modò res singulares, sed & rerum universitates: utrum commune lucrum, & damnum ex commerciis circa eas ineundis hauriri possit, an verò communi duntaxat utilitati, aut voluptati inserviant, nihil interest. Dummodò sint res honestæ: *l.* 57. *ff. h.* hinc subsistere nequit circa res ex furto vel alio maleficio quærendas, *l.* 53. *ff. h.* neque circa eas, quarum societates ex speciali legis ob bonum publicum dispositione reprobantur. *Cons. l.* 2. *ff. ad leg. jul. de ann. l.* 1. §. 12. *ff. de extraord. Cognit.* Observandum tamen: tum demum rerum inhonestarum societatem nullam esse, si ab initio contractus sine inhonesto laboraverit: *l.* 57. *ff. h.* qui post rectè initam societatem lucrum maleficum infert, id, donec damnetur, commune facit: *l.* 53. *l.* 54. *ff. h.* quin cæteros pœnæ consortes habeat; nisi lucrum turpe esse sciverint. *L.* 55. *ff. h.* Cæterùm rerum humano commercio exemtarum usum huc spectare non ambigo, cur enim usus uni permissus pluribus sit vetitus?

§. 2. Alterum objectum societatis constituunt Jura: *l.* 3. *pr. ff. h.* æquè singularia, ùt vectigalis, venationis, jurisdictionis patrimonialis; ac universalia, ùt hæreditatis, peculii. Regula hæc non procedit in Juribus servitutum prædialium, ne communis usus prædii servientis conditionem duriorem efficiat contra *l.* 20. §. 10. *ff. de S. P. U.* neque Jura servitutum personalium communicari poterunt, cum ossibus personæ adhæreant: media hic via patet,

tet, ut commoditas communicetur: fallit pariter in cæteris Juribus merè personalibus, quæ in pröedriâ consistunt, nisi reditus exceperis. Fallit ultimo, cum legum resistit authoritas, ùt in actionibus litigiosis, actionibus injuriarum &c. si enim pro parte cedantur *l.* 3. *pr. ff. h.* pro parte cessa contra leges impingitur.

§. 3. Ad objectum 3tiò: referuntur operæ: quæ præstantur vel ab omnibus *l.* 71. *pr. ff. h.* vel ab uno, alterove, sicque valet societas inter eos, qui non sunt æquis facultatibus, cum plerumque pauperior operâ suppleat, quantum ei per comparationem patrimonii deest. *L.* 5. §. 1. *ff. h.* Sicuti verò res ex scelere quæsitas socius conferre non tenetur, ita pariter ad operas inhonestas non obligatur.

SECTIO IV.

Personæ societatem contrahentes possunt esse omnes, quêis libera est super rebus, aut operis dispositio, nulloque Jure impediuntur. Impediuntur verò alii naturali Jure ob judicii defectum; alii civili Jure 1mo: prodigi post decretum judicis, non antè. *L.* 18. *ff. qui testam. fac. poss.* 2dò: Pupilli, ita ut ipsimet non obligentur, socium verò sibi obligent, cum talis contractus claudicet, *Stryck. de Caut. Contract. Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 20. 3tiò: Minores curatorem habentes super rebus immobilibus *l.* 3. *C. de in integ. restit.* de cæterò contrahunt liberè salvâ in integrum restitutione. Ne autem hæ personæ contrà æquitatem locupletentur; obligationi ex quasi contractu adhuc locus erit. *L.* 33. *ff. h.* 4tò: Filiusfamilias cum patre, quamdiu patriæ potestati subest: nemo enim sibimet ipsi est socius: hæc personalis identitas in peculio castrensi, vel quasi, quorum respectu filius est patersfamilias, attendi nequit; neque status eum impediet, quin cum fratre, aut extraneo etiam ignorante patre, aut cum ipso patre super peculio profectitio cum effectu prioritatis patri præ aliis competente, *l.* 52. *pr. ff. de pecul.* societatem habeat.

Alterius nomine rite pariter societatem contrahunt rerum administratores, quousque præpositionum limites ex voluntate præponentium, vel lege positi reperiuntur. Suo nomine jus in re aliena, vi cujus fructus participant, habentes: imo conductores: ut tamen societas iisdem cum horum jure cancellis includatur.

SECTIO V.

Consensu de certâ communione utrinque dato & acceptato societas

 statim

ſtatim perfecta intelligitur, ùt ùt conditione ſuſpendatur, Veterum ſublatis dubiis. *L.* 6. *C. h.* Conſenſus iſte vel eſt expreſſus mediantibus verbis, ſcripturâ, nuntio, aut epiſtolâ: *l.* 4. *ff. h.* vel tacitus, re *d. l.* 4. id eſt per actus ſociales aliter non explicabiles, licet vel maximè eſſet ſocietas univerſalis omnium bonorum: *Fachinæus lib.* 12. *Controv. Cap.* 14. *Diſſent. Carpzovius, Part.* 3. *Conſt.* 15. *Def.* 45. *N.* 3. Neque exin quis ſocietatem inter contractus reales referet, quod pariter re contrahatur, aliud eſt enim re contrahi ſocietatem, aliud rei interventum requiri ad ſocietatis perfectionem. Non etiam ſocietas ſcripturæ vires ſuas debebit, ſi conſenſu modò præſtito negotium in ſcripturam conjicere propoſuerint; nam tunc ſcriptura non niſi ad probationem, aut confirmationem, & meliùs eſſe pertinebit, niſi ubi expreſſè cautum eſſet, priùs non perfectum debere eſſe contractum, niſi inſtrumento plenè confecto: *l.* 17. *C. de fid. inſtrument.* quod in dubio non præſumitur. *Stryck. de Caut. Contract. Sect.* 2. *Cap.* 8. §. 1.

§. 2. Inde 1mo: ſocii noſtri ſocius nobis ſocius non eſt, *l.* 20. *ff. h.* ſed ſolus partem, quam de ſocietate noſtrâ conſequitur, aſſumto ſocio communicabit, hujus verò operas rurſùs ſocietati noſtræ præſtabit, *l.* 21. *ff. h.* nosque aſſumti nomine ſervabit indemnes. *L.* 23. *ff. h.* 2dò: Quævis communio ſocietas non eſt, ſed quæ tractatu habito inter nos eſt coita: *l.* 32. *ff. h.* communis namque res citra ſocietatem eſt, cum non affectione ſocietatis in rem communem incidimus. *L.* 31. *ff. h.* Dubium eſt an communis emtio ſocietatem inducat? quod affirmandum cenſeo cum SICHARDO *ad l.* 2. *C. h.* quamvis unus ſolus ſolviſſet: niſi aliud ex facto conſtet. *L.* 31. *l.* 32. *ff. h.* 3tiò: Nil actum eſt: ubi dolus contractui cauſam declit, *l.* 3. *ff. h.* vel metu gravi adactus quis acceſſit, *l.* 116. *ff. de R. J.* neque ubi citra alterutrius culpam error intervenit, vel in perſonâ ſocii, non in perſonæ qualitate & meritis: §. *fin. Inſt. h.* vel in conſtitutis partibus: *l.* 5. *ff. locat.* vel in objecti ſubſtantiâ, ſi ſocietas ſit particularis; defectus accidentales ad congruam partium proportionem, modò finem ſocietatis non penitùs fruſtrent, *l.* 15. *ff. h.* rediguntur. *L.* 14. *de Contrah. emt.*

§. 3. In ſocietatibus, maximè negotiatoriis, omne ferè punctum facit determinatio partium in lucro, & damno: hæc materia ad tres hypotheſes facilè reducitur: aut 1mò: nihil de partibus dictum eſt; fluúntque ex ipſo negotio: aut 2dò: partes ſunt expreſſæ: aut 3tio: coita eſt ſocietas ex his partibus, quas unus ex ſociis, vel tertius arbitratus fuerit.

§. 4. In 1mâ hypotheſi quibusdam perſuaſum eſt, partes eſſe viriles non attento unus plùs, alter minùs intulerit. §. 1. *Inſt. h.* Alii Juſtinianum in *d.* §. 1. cum Pomponio in *l.* 6. *ff. h.* conciliant, illius ſuppoſitum, ubi omnium

omnium ſociorum illata ſunt æqualia, hujus verò aſſertum, ubi ea inæqualia, explicantes. Subdiſtinguentium ſententia mihi præplacet, videndum; an verſemur in ſocietate omnium bonorum, an cæterarum ſpecierum: ibi prior, hìc altera ſententia verior eſt. *Hoppius in Comment. ad §. 1. Inſt. h. Muller. ad Struv. exercit. 20. th. 30. lit. ß. DD.* verò inutili diſputationi, an in genere prævalere debeat proportio geometrica arithmeticæ, aut vice versâ, immorari nolo cum *Leyſero Medit. ad ff. ſpecim.* 184. *Medit.* 13.

§. 5. In 2dâ hypotheſi partes expreſſæ, licet inæquales, modò leonina non fiat ſocietas, *l.* 29. §. 2. *ff. h.* ſervari debent, quia ſæpe quorundam ita pretioſa eſt opera, ut juſtum ſit eos in ſocietatem conditione meliori admitti; §. 2. *Inſt. h.* aut ſi modo aliquis plus contulit vel pecuniæ vel operæ, vel cujuſcunque alterius rei causâ. *L.* 29. *pr. ff. h.* Inde anceps oritur quæſtio inter interpretes, an ſuppoſitâ collatione æquali valeat pactum de partibus inæqualibus, idque non pauci negant, apud *Vinnium lib.* 1. *Q.* 53. Potiſſimùm: quod *Quintus Mutius d.* §. 2. *Inſt.* contra naturam ſocietatis talem pactionem pronuntiet; "ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad „Sejum duæ partes damni, lucri tertia" & *Servius Sulpitius Mutii* ſententiam tantùm temperet, minimè verò improbet: *Vinn. loc. cit.* contraria tamen ſententia mihi verior eſt: etenim & *Mutii* & *Servii* ſententia à *Paulo* in *l.* 30. *ff. h.* relata minimè inæqualitatem partium, ſed diſparilitatem lucri & damni ſeorſim computandam rejicit in verbis: "neque enim lucrum intelligitur, niſi „omni damno deducto, neque damnum niſi omni lucro deducto." Hiſce præmiſſis *Servius* ita pergit: "ſed poteſt coiri ſocietas ita, ut ejus lucri, quod „reliquum in ſocietate ſit, omni damno deducto pars alia feratur, & ejus „damni, quod ſimiliter relinquitur, pars alia capiatur." Unde apparet inæqualitatem partium *à dict. JCtis* potiùs affirmatam quàm negatam eſſe. *Stryck. in Uſ. modern. ff. h.* §. 16. profectò quamdiu tota lucri communio, ut in leonina, non tollitur, ſocietatis eſſentia ſalva eſt; pactis autem à naturalibus receditur: *l.* 23. *ff. de R. J. Vinn. loc. cit.* quamvis in totum donationis causâ ſocietas contrahi non poſſit, *l.* 5. §. 2. *ff. h.* nemo tamen dubitat quin id pro parte rectè fiat: *l.* 38. *ff. de contrab. emt.* Sique ita in donatione expreſsâ ſalvetur eſſentia, cur pactis æquivalentibus tolleretur?... Altera quæ ſub hac hypotheſi occurrit inæqualitas, eſt, ut nullam partem damni alter ſentiat, lucrum verò commune ſit *l.* 29. §. 1. *ff.* §. 2. *Inſt. h.* eam tolerandam tantùm putat *Gail. lib.* 2. *obſ.* 24. *N.* 1., quando favor iſte datur illi, qui tantùm operas contulit; *d. l.* 29. §. 1. Econtrà ut uſurariam, & leoninam damnat, ubi à damno immunis eſt, qui contulit pecuniam: aſt quod pace viri conſultiſſimi dixero, quomodo poterit contractus eſſe uſurarius, ſi nulla quota lucri in conventionem eſt deducta, ſed ſocietatis fortunæ relicta fuit? & quo-

quomodo inde leonina fiet ſocietas, niſi alter ſimul omne lucrum captet? *l.* 29. §. 2. *ff. h.* Præterquam verò quod donationis causâ id fieri poſſit; pro æquitate talis pacti ſœpe militat ratio: quid enim ſi ſocius ſortem aſſecurans nullas operas præſtet, aſſecuratus autem ſolus naviget, ſolus peregrinetur, pericula ſubeat ſolus? *Laud. Stryck. in Uſ. modern. ff. h.* §. 20. 21.

Aſſentiendum tamen Gailio crederem, mutuum uſurarium latere, ubi ſors capitalis determinato certo lucro, quod juſtas uſuras excederet, à ſocio qui operam intulit, aſſecuraretur: ſicque famoſus trinus contractus naſceretur. *Diſſent. Zoeſius ad ff. h. N.* 25. 26. Aliud rurſus foret: ubi ſortis periculo non ſuſcepto ab eo, qui operam infert, certum lucrum alteri promitteretur, incertum verò quod ultra obveniret, operarum præmio cederet. *Vid. l.* 44. *l.* 25. §. 7. *ff. h.*

§. 6. In 3tiâ hypotheſi dum coita eſt ſocietas ex his partibus, quas unus ex ſociis vel tertiis arbitratus fuerit; arbitramentum naturæ ſocietatis adſtringitur habito reſpectu, utrum alter plus operæ, induſtriæ, gratiæ, pecuniæ intulerit: *l.* 80. *ff. h.* unde ubi ita pravum eſt, ut manifeſta ejus iniquitas appareat, patet læſis, licet non ultra dimidium, *Bachov. ad Treut. Vol.* 1. *Diſp.* 29. *Th.* 3. *lit. E.* recurſus ad arbitrium boni viri *l.* 6. *ff. h.* id eſt, ad judicem, qui aliàs in causâ fuiſſet ordinarius, non præcisè arbitratoris ſuperiorem, *Gail. l.* 1. *obſ.* 149. *N.* 3. intra 30 annos. *Id. obſ.* 150. *N.* 2. Quod, ſi arbitrator, antequàm arbitraretur, deceſſerit, nihil agi dicitur: *l.* 75. *ff. h.* quod tamen non ita in ſocietate ut in aliis contractibus, erit ſimpliciter admittendum; ſed tantùm re integrâ: poterit enim contingere ſub finem negotiationis arbitratorem mori, quo caſu ſocietas nulla dici nequit, ſed partes, ac ſi pactum adjectum non fuiſſet, obtinebunt. *Stryck. in Uſ. modern. ff. h.* § 6.

Sub finem adhuc commendanda eſt regula ex §. 3. *Inſt. h.* "illud expe„ditum eſt, ſi in unâ causâ pars fuerit expreſſa veluti in ſolo lucro, vel in „ſolo damno, in altero vero omiſſa, in eo quoque, quod prætermiſſum eſt, „eandem ſervari."

SECTIO VI.

Ex ſocietate ita rectè initâ acquiritur utrinque obligatio perſonalis ad varias præſtationes, quæ vel ex naturâ hujus contractûs, vel pacto ſunt determinatæ. Harum nomine tenentur, ut in conventionem deducta actu communicentur pro diverſo fine, cujus gratiâ contracta eſt ſocietas. *L.* 15. *ff. h.* in ſocietate omnium bonorum difficili rerum corporalium, quæ ab initio in

coeun-

cocuntium bonis ſunt, traditioni fictione legis ſuccurritur *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *ff. h.* nominibus in ſuo ſtatu relictis, dum actiones invicem cedere debent. *L.* 3. *pr. ff. h.* non præcisè verbis vel inſtrumentis ſolennibus, ſufficiunt quoque facta ex quibus voluntas cedentis & acceptantis rite infertur, cum & ceſſio tacitè fiat *l.* 7. *C. de obl. & act.*

§. 2. Durante ſocietate quoque in medium conferendum eſt, quod ex causâ ſocietatis ad aliquem pervenit, *l.* 65. §. 15. *l.* 73, *l.* 74. *ff. h.* quoties ſocietatem non expedit ſolvere, *Bachov. ad Treut. Vol.* 1. *Diſp.* 27. *Th. ult. lit. D.* ita ut ex morâ debeantur uſuræ *l.* 60. *pr. ff. h.* Si invicem diſcordent, melior eſt conditio prohibentis, ne quid novi fiat *l.* 28. *ff. comm. divid.* dummodo id, quod prohibetur, naturali rei communis deſtinationi, aut primariæ ſocietatis intentioni non conveniat, *l.* 52. §. 13. *ff. h.* aut modò factum non ſit *d. l.* 28. *ff. comm. divid.* quæque ſpecialiter ſuſcepta ſunt, quisque præſtet *l.* 52. §. 11. *ff. h.* ubi inter cætera *DD.* torquet *l.* 69. *ff. h.* cujus mihi ſanior eſt explicatio ex vendito agi poſſe à ſociis ut epulas præſtet, pro ſocio ut lucrum communicetur: neque me offendit poſſe agi ex vendito: nam licet proprie dicendum eſſet ex emto; nil tamen vetat, quin dicatur ex vendito, reſpiciendo ſcilicet ipſum negotium.

§. 3. Finitâ ſocietate incumbit rationum redditio: *l.* 9. *ff. de edend.* quæ quidem tunc remitti poteſt, non tamen ab initio, ne dolo via pateat: ut verò fraternitatis officio, quæ ſocietati ineſt, *l.* 63. *pr. ff. h.* fiat ſatis; in levioribus exacta probatio non deſideratur, ſed verbis aut ſaltem jurijurando ſtandum eſt: *Leyſer. Medit. ad ff. ſpecim.* 184. *Medit.* 9. durante ſocietate regulariter non debetur, niſi uſus mercaturæ, vel pacta, hominumve conditio certa tempora faciendæ computationi præfixerint. *Stryck. in Uſ. Moder. ff. h.* §. 5. Ab hâc obligatione ſocios omnium bonorum eximit *Boehmer. ad ff. N.* 17. id tamen limitandum erit, ubi de communi quis deſumſit, quæ exinde non debebantur: *l.* 52. §. 18. *ff. h.* primariò habenda ratio damni & expenſarum.

§. 4. Damnum vel dedit ſocius, ejusque nomine obligatur non tantum ob dolum, ſed etiam ex verâ culpâ & magnâ negligentiâ: *l.* 52. §. 2. *ff. h.* quia tamen ſocii cauſam gerendi habent, & ſimul propria negligunt; *l.* 15. §. 16. *famil. hercif.* culpa & negligentia in concreto menſurantur, *l.* 72. *ff. h.* & ubi alias dolo, hic tantum culpæ levi in effectu æquiparantur. *L.* 108. §. 12. *ff. de legat.* 1. Quod ſi quædam negligenter ſocius egiſſet, in plerisque autem ſocietatem auxiſſet, compendium cum negligentiâ non compenſatur. *L.* 26. *ff. h.*

§. 5. Damnum ſiniſtræ fortunæ partibus invicem decreſcit. *L.* 52. §. 4. *ff. h.* Modò contigerit à tempore, quo jam res communes erant: *l.* 58. §. 1. *l.* 82. *ff. h.* neque enim lucrum prius commune cenſendum, niſi ſorte utrinque illatâ. *Leyſerus Medit. ad ff. ſpecim.* 184. *Medit.* 12. Res communicatæ ſint quoad ipſam proprietatem; ſi quoad uſum, ſors collata ſalva manet. *Boehmer. ad ff. N.* 9. Hinc gravior eſt quæſtio, ſi unus operam, alter pecuniam intulerit, an pecuniâ pereunte ſit damnum ſolius inferentis, an commune? ſicque è converſo an rebus proſperè geſtis pecunia ipſi ſit præcipua, & demum lucrum dividendum? pecuniæ dominium in caſu non communicari, ſicque inferenti domino perire *l.* 9. *C. de Pign. act.* teſtantur *Fachin. lib.* 2. *Controv. Cap.* 95. *Struv. exercit.* 22. §. 33. *Donell. in l.* 1. *C. h. N.* 3. aliique plurimi: id quod ubi de contrariâ mente non conſtat, in puncto juris verius crederem; commendant alii magis providè, reſpiciendum eſſe, quid verò ſimiliter actum ſit: ſi præſtantia operarum æquivaleat ſorti illatæ, tunc & operarum & pecuniæ dominium ex tacitâ contrahentium mente in unam quaſi maſſam conflatum, communi periculo perire; ſi verò operæ uſui tantùm pecuniæ correſpondeant, nec damnum pecuniæ, nec operarum commune fore. Itâ *Covarruv. lib.* 2. *variar. reſolut. Cap.* 2. *N.* 2. *Vinn.* 1. *Q.* 54. *in fin.*

Damnum quoque, quod quidem in rebus communibus non contigit, bene tamen ſocietatis occaſione, *l.* 52. §. 4. *ff. h.* quodque unus ex ſociis à ſocio damnificante obtinuit, id reliquis nihil conſequentibus in commune feret, ut exæquatio ſervetur. *L.* 63. §. 5. *ff. h.*

§. 6. Ulterius expenſarum, quas quisque ſocius de ſuis impendit, computanda eſt compenſatio: *l.* 38. §. 1. *ff. h.* non tantum hic veniunt expenſæ, quæ in ipſam ſocietatem factæ, *l.* 52. §. 15. *ff. h.* ſed & quas propter ſocietatem facere debuit: *l.* 61. *ff. h.* modò actuale damnum in patrimonio ſenſerit, ſpem acquirendi perdidiſſe non ſufficit. *L.* 60. §. 1. *ff. h.* Computatis hic pariter uſuris, ſi ſortè fænori ſumſit nummos, vel quas ex propriâ pecuniâ habere potuiſſet: *l.* 67. §. 2. *ff. h.* ſi in rei communis refectionem alter expenſas fecerit; reficientis præmio datur, ut uſuræ quatuor menſibus ſi velit ſint finitæ, dominiumque partis moroſæ ipſi quæratur: *l.* 52. §. 10. *ff. h. Sichard. h. C. in rubr. N.* 14. quas expenſas unus ex ſociis nequit reddere, ejus rata non exponentis ſed omnium oneri accedit: *l.* 67. *pr. ff. h.* demum quod unus ex die vel conditione ob cauſam ſocietatis debet, ut in eum tota ſolutio redundet, illicò deducendum non eſt, modò cautionibus interpoſitis ſecurus fiat. *L.* 27. *l.* 28. *l.* 38. *ff. h.* Tumque ejus lucri vel damni, quod apparet, partes juxta ſect. præced. conſtituendæ.

§. 7.

§. 7. Ad hasce præstationes personales competit actio *pro socio* utrinque directa & famosa, ut plurimum generalis & finita.

Dico utrinque directa & famosa. § 2. *Inst. de pœn temer. litig.* Cum sociorum obligatio non sit dispar, & utrobique de fide ruptâ, & dolo agatur: *Zoesius ad ff. h. N.* 37. quia tamen delicta tenent suum caput, successoribus infamia non irrogatur: ut plurimum generalis, cum sub finem societatis intentata præstationes omnes pro objecto habeat, imo licet plures societates inter eosdem sigillatim extitissent, hoc unum judicium sufficit: *l.* 52. §. 14. *ff. h.* si durante societate competit, particularis est: *Bachov. ad Treut. vol.* 1. *Disp.* 27. *th. fin. lit. B.* ùt plurimùm finita ex beneficio competentiæ sociorum quasi fraternitati indulto, ut in id tantum, quod facere possunt, tempore rei judicandæ, sint condemnandi: *l.* 63. *pr.* §. 6. *ff. h.* beneficium hoc personale est, inde nec hæredibus, nec fidejussoribus, nisi hi ut defensores judicium susceperint, *d. l.* 63. §. 1. 2. *ff. h.* neque ei, cujus jussu contractum, *d.* §. 2. dandum est: caret hoc beneficio qui per mendacium se socium negavit, *l.* 67. §. *fin. ff. h.* vel dolo fecit, quominus solidum præstare queat, bona erogando in fraudem actionis futuræ, non vero si acquirendi occasione non utatur. *L.* 68. §. 1. *ff. h.* Datur ad præstationes personales, sive ad id, quod ex ipso contractu debetur: ad rerum communium divisionem non competit, quia divisione dissolvitur societas: jam autem ex ipso contractu ad dissolvendum contractum non agimus, *Boehmer. de action. sect.* 2. *Cap.* 8. §. 120. sed hujus nomine comparata est actio communi dividundo *l.* 1. *ff. com. divid.* interim ubi communi dividundo actum est, superest actio pro socio, quæ & nominum rationem habet, licet adjudicationem non admittat: *l.* 43. *ff. h.* ut autem hoc minùs consequatur actor, quam ex prima actione est consecutus. *L.* 43. *cit.*

Concurrunt quoque cum hac actione actio furti, condictio furtiva: legis aquiliæ: quæ, quatenus ob unum factum ad diversa tendunt, eodem libello de praxi cumulari possunt. Si separatim actum est; una alteram non perimit: sicque actio furti non tollit actionem pro socio *l.* 45. *ff h.* illâ namque pœnam dupli vel quadrupli, hâc reparationem simplicem persequimur: quod si ad idem tendant, cumulatio fieri nequit, unâque intentatâ altera perimitur: sic ubi condictione furtivâ egero; cessabit actio pro socio in eâdem causâ: *l.* 47. *ff. h.* aliud foret, si ex diverso obligationis fonte Jure prodita esset actio: sic actione legis aquiliæ non tollitur actio pro socio *l.* 48. *ff. h.* illa namque immediatè delictum, hæc contractum pro fonte obligationis agnoscit: & ideo succumbens in actione legis aquiliæ actionem pro socio nihilominus rectè fundare poterit: & vicissim.

SECTIO VII.

Ex accidenti obligantur & acquirunt ſocii ex geſtis cum extraneis: licet autem in theſi ſocius ſocium extraneo obligare non poſſit; id tamen fieri poteſt, dummodo 1mò: rei communi fuerit *à ſingulis* præpoſitus: neque enim ita, utì in Collegiis & Univerſitatibus, *l.* 19 *ff. ad municip.* major pars minorem in ſocietatibus vincit: *l.* 28. *ff. com. divid. Cap.* 29 *de R. J. in* 6. 2dò: Normam præpoſitionis ad amuſſim obſervaverit: *l.* 5. §. 11. *l.* 11. §. 5. *ff. de Inſtit. act.* 3tiò: Reliquorum ſociorum in contractibus mentionem fecerit, *l.* 67. §. 1. *ff. h.* ita ut creditor voluntatem habere poſſit cæteros ſibi obligandi: ſola hæc poteſtas in ſocii inſtitoris inſtrumento inſcripta, ſi manifeſtata non ſit, id non operatur: *Græven ad Gailium lib.* 2. *Concl.* 24. *Conſid.* 2. *N.* 10. 4tò: De revocatione præpoſitionis dignè non conſtiterit: *l.* 11. §. 2. *ff. de Inſtit. act.* aut 5tò: his non attentis tantum inde verſio in ſocietatem facta ſit. *L.* 82. *ff. h.*

Ex negotiis ita celebratis naſcitur extraneis contra ſingulos ſocios actio in ſolidum ceſſante diviſionis exceptione, *l.* 2. *ff. de exercit. action.* regreſſu tamen ſolventi ſalvo. *L.* 27. §. *fin. ff. de pecul.* Aliud eſt ubi omnes ſimul in negotio ſteterunt, tuncque pro ratâ quivis obligatur. *L.* 44. §. 1. *ff. de ædil. edict. Leyſer. Medit. ad ff. ſpecim.* 185. *Medit.* 7. *Diſſent. Carpzov. part.* 2. *C.* 17. *def.* 12. Sociis contra extraneos ultra ratam indiſtinctè non quæritur actio: *l.* 9. *C. ſi cert. petat.* ſique uni ſocio, niſi eſſet inſtitor, *l.* 4. §. 1. *ff. de exerc. act.* totum debitor ſolverit, ab altero non liberatur. *Zoeſius ad ff. h. N.* 47.

SECTIO VIII.

Societas perfecta iterum ſolvitur ex voluntate, actione, perſonis, rebus. 1mò: ex voluntate: id eſt diſſenſu, qui innoteſcit vel ex lapſu præfiniti temporis: *l.* 65. §. 6. *ff. h.* quod vitam ſocii non egreditur. *L.* 1. *pr. ff. h.* Nulla enim ſocietatis tanquam diſcordiarum matris in æternum coitio eſt. *L.* 70. *ff. h.* Vel ex fine negotii *l.* 65. §. 10. *ff. h.* vel renuntiatione, *l.* 4. §. 1. *ff. h.* etiam unius *l. fin. C. com. divid.* ſive res integra ſit, ſive non: non valente pacto in contrarium: quâ in re ab aliis contractibus, ubi factum civile eſt debitum, multum differt. *l.* 5. *C. de obl. & act.* ne verò mala fides impunita maneat, renuntiandi libertas ſuis circumſcripta eſt legibus: unde quiſquis injurioſè renuntiat currente adhuc tempore, ſocio abſenti & ignoranti, ex calliditate ut lucrum obveniens v. g. ex hæreditate, aut ex ſplendenti negotio ſolus captet; à ſe quidem liberat ſocios, ſe autem ab illis

non

non liberat: & quidquid compendii ad tempus præfinitum, aut quoad absens scierit, aut ex hæreditate, aliove appetito negotio renuntianti obvenerit, in commune rediget, dispendium verò quod fecerit, ejus solius erit. *L.* 17. §. 1. *l.* 65. §. 3. 6. *ff. b.* Quod autem lucrum injuriam passus, quoad usque currere debuisset societas, aut ante scientiam renuntiationis retulerit, hoc ad eum solum pertinebit, & damnum ab eo factum commune erit. *L.* 17. *l.* 65. §. 6. *ff. b.*

Qui renuntiat intempestivè, dum societati non expedit, tenetur tanti, quanti sociorum causam deteriorem fecit. Neque quod privatim interest, respicitur, sed quod societati expedit. *L.* 65. §. 5. *ff. b.* cum justa causa subest, dolosa non est renuntiatio: ubi conditio, qua societas est inita, non impletur: aut socium non expedit pati: *l.* 14. *ff. b.* nec frui licet eâ re, cujus gratia est societas: *l.* 15. *ff. b.* vel quando reipublicæ negotia à propriis diu avocant, & administratori aut socio propria demandari vix possunt.

§. 2. 2dò actione: id est judicio: dum ideo pro socio judicium dictatur, ut societas distrahatur, societati renuntiatum est: *l.* 65. *pr. ff. b.* ergo ubi medio tempore judicium fundatum est, renuntiatio exin sinistrè infertur: aut actione, id est stipulatione *d. l.* 65. dum obligatio societatis mediante interrogatione, congruaque in continenti responsione in aliam obligationem novatur, aut alius socius delegatur. *Oldendorp. Class.* 4. *act.* 21. §. 8. *N.* 7.

§. 3. Ex personis: sive morte naturali non tantùm plurium, sed etiam unius: *l.* 4. §. 1. *l.* 65. §. 9. *ff. b.* modò cæteris sit cognita; alias bona fide continuatur. *L.* 65. §. 20. *ff. b.* licet cæteroquin sit regula, quod hæres in omnia jura defuncti succedat: *l.* 37. *ff. de acquir. hæred. l.* 62. *ff. de R. J.* etenim in defuncto certæ personæ dexteritas & aptitudo electa erat: *l.* 65. §. 11. *ff. b.* imò ab initio pacto effici non poterit, ut hæres succedat in societatem; *l.* 29. *pr. ff. b.* Tale enim pactum vel esset nimis contrarium libertati ultimarum voluntatum, *l.* 52. §. 9. *ff. b.* vel reliqui socii cogerentur habere socium quem nollent, quia incerta esset persona hæredis. *Zoes. ad ff. N.* 30. *b.* neque uno mortuo inter superstites manet societas: *l.* 55. §. 9. *ff. b.* nisi id convenerit: §. 1. *Inst. b.* nil tamen prohibet, quin inter eos de novo societas coalescat, aut hæres assumatur. *L.* 37. *ff. b.* Licet autem hæres socius non sit, in eum tamen actio datur, *l.* 35. *ff. b.* ut bonam fidem præstet, cogiturque explicare ea, quæ per defunctum inchoata sunt. *L.* 40. *ff. b.* Cujus dolus & culpa in eo, quod ab antegesto pendet, tam ab hærede quàm hæredi præstandum est. Damnum quoque & lucrum, ut cum defuncto, ita cum hærede dividendum. *L.* 65. §. 2. 9. *ff. b.* in societatibus conductionum

 publi-

publicarum, vectigalium &c. singulariter obtinet, 1mò: ut per mortem unius non dissolvatur in totum societas, sed in superstitibus continuetur: 2dò: quod ab initio rectè hæres adscribatur: 3tiò: licet non sint adscripti hæredes, ad divisionem tamen provocare nequeunt, sed damnum & lucrum, quod & expost contingit, pro communi agnoscent: neque exin quis malè inferet, hæredem à cæteris cogi posse, ut administrationem suscipiat, & in socium adsciscatur: & vice versâ. *Conf. l. 59. pr. l.* 63. §. 8. *ff. h.* ex personis quoque dissolvitur morte civili sive maximâ & mediâ capitis diminutione unius ex sociis. Illâ status libertatis, hac civitatis retentâ libertate amittitur: §. 1. 2. *Inst. de cap. min.* Qui patitur minimam socius manet, licet duabus actionibus agi possit, si emancipatione contigerit. *L.* 58. §. 2. *ff. h.* cujus bona omnia publicata sunt, pariter pro mortuo habetur. *L.* 65. §. 13. *ff. h.* cum Fiscus in ejus locum subintret. Item qui bonis cessit, §. 8. *Inst. h. l.* 4. §. 1. *ff. h.* cum & jura societatis cedi debeant creditoribus, cedens societati mortuus videtur: quod si reliqui de novo consentiant, inter eos nova incipit societas. §. 8. *Inst. h.* cedens quoque post cessionem assumi poterit, & de lucro tutus participabit ad competentiam usque: minimè tamen ubi bonis cedens operas tantùm præstabat, societas dissolvetur. *Vinn. ad* §. 8. *Inst. h.*

§. 4. Ex rebus: earum interitu tam physico quàm morali: dum quidem res naturâ manent, conditionem tamen mutarunt. Nemo enim rei, quæ humano commercio exiit, quoad proprietatem saltem; aut quæ publicata sit, socius esse potest. *L.* 63. §. 10. *ff. h.*

MISCELLANEA.

Ex Jure Naturæ.

Jus naturale à positivis separatum est, nec ex iis necessariò interpretandum.

Patria potestas juris naturalis nec emancipatione, nec dignitate tollitur.

Jura ultimarum voluntatum naturali jure nequeunt subsistere.

Ex

Ex Jure Gentium.

In Jure Gentium distinguendi sunt boni mores, quæ in privatam quarundam Gentium utilitatem tendunt, ab iis, quæ publicum omnium Gentium bonum respiciunt.

Nulla Gens sine lege fundamentali cogitari potest.

Fœdera de non lædendo inire necesse non est Gentibus.

Ex Jure Publico.

Quotquot sunt in Imperio Provinciæ, unum in nexu unius supremi capitis statum efficiunt, non aristocraticum, minùs fœderatum.

In Comitialibus negotiis propriè talibus Jus eundi in partes extra causas religionis non competit.

Matrimonium inter personas immediatas statum civilem nec ponit, nec tollit.

Ex Jure Canonico.

Impedimenta matrimonium dirimentia vel concernunt Jus partium, vel Jus Dei, aut Ecclesiæ, ibi, non hic transactio pro vel contra matrimonium valere potest.

Etiam post præsentationem à patrono laico factam, quamdiu institutio subsecuta non est, adhuc simonia committi potest.

Compromissum super electione unius contradictione infirmatur.

Ex Jure Civili.

Deposito irregulari in mutuum converso privilegia & onera depositi evanescunt & datur condictio certi ex mutuo.

Legatum annuum certis personis purè relictum unâ præscriptione amittitur.

Pubes cum tutore super culpâ in re tertii admissâ transigens, actiones cedendo non defungitur.

Ex

Ex Jure Feudali.

Divisionem feudi in merè & mixtim hæreditarium non admitto.

Simultaneè investitus exspectativarium præcedit ùt ùt tempore priorem.

Feudum filio ab hæreditate paterna abstinenti cum consensu agnatorum restitutum, manet antiquum.

Ex Jure Criminali.

Usus Torturæ ad præscriptum C.C.C. ineptè injustus clamitatur: exin tamen me à condemnatione ad operas publicas alienum esse malè quis inferret.

Duplex pœna ob idem delictum juris analogiæ non adversatur.

Satisfactione læso præstitâ inquisitio non tollitur.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19